



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. II. De Institutione Matrimonii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

trahentium sint materia, & verba sint forma. Nam Sacramentum matrimonii esset quid permanens, sicut Sacramentum Eucharistia. Adde, quod contractus matrimonii non distinguitur a Sacramento, posita institutione Christi Domini; contractus autem non constituitur per corpora, sicut nec emptio equi, exempli gratia, constituitur per equum emptum, sed per mutuum consensum, qui pariat obligationem: ergo nec Sacramentum constituitur per corpora. Quare corpora conjugum in hoc Sacramento sunt solum materia, circa quam, & remota, non proxima; sicut peccata in Sacramento Poenitentiae sunt materia remota, non proxima.

Dicendum itaque cum Suar., Sanch., Rebel., Con., & aliis communiter, hujus Sacramenti materiam esse utriusque conjugis consensum signis externis expressum, prout significantem mutuum corporum traditionem; formam vero esse eundem consensum, prout significantem mutuum corporum acceptationem. Ratio est, quia omnis promissio, vel traditio, donec acceptetur, est ex se inefficax, & indeterminata, ut rata potius sit, quam irrita; per acceptationem vero determinatur ad esse ratam, & fit efficax ad producendam obligationem: ergo in contractu matrimoniali traditio habet rationem determinabilis, seu materiae; acceptio vero dominii in corpora habet rationem determinativi, seu formae.

## ARTICULUS II.

### De Institutione Matrimonii.

- I. Ex lege positiva divina videtur institutum Matrimonium, in quantum est contractus.
- II. Praeceptum nubendi videtur esse naturale, & obligare omnes vage,

hoc est singulos urgente necessitate.

III. Quem finem intendere debent contrahentes, ut valide, ac licite contrahant?

IV. Quamvis licite intendi possit per matrimonium remedium concupiscentiae, & propter fines extrinsecos honestos celebrari; illicitum tamen est praecise propter delectationem carnalem velle nubere.

V. Sicut non est licitum, nec vacat veniali culpa opus conjugii ob solum voluptatem exercere; ita pariter est illicitum praecise propter eandem velle nubere.

VI. Ex traditione Apostolica habetur, quod Christus Dominus Matrimonium ad rationem Sacramenti elevaverit.

VII. Probabilius hoc Sacramentum a Christo Domino post resurrectionem institutum fuit.

I. **A**gendum primo de institutione matrimonii, quatenus contractus est; Deinde quatenus est Sacramentum; Inquirendo Quisquam illud instituerit? Quando? Et quem ad finem?

Quaeritur itaque primo, A quonam fuerit institutum matrimonium in ratione contractus, & quando?

Respondeo, certum omnino esse, quod Deus fuerit matrimonii Institutor; quamvis dubium sit, Num fuerit ejus Institutor, in quantum est Auctor naturae, an vero ex positiva aliqua ordinatione? Equidem censescum Suar., Con., Perez, & aliis contra Hurt. disp. 4., Deum per veram, ac propriam legem instituisse matrimonium; ejus vero unitatem, & indissolubilitatem esse quidem naturae humanae consonam; non tamen ita ut non potuerit in iis Deus dispensare. Ratio est, quia antiqui Patres licite contraxerunt unus cum pluribus uxoribus; Et Hebraeis licitum fuit reple-

dium; ergo non ex lege naturali indispensabili institutus fuit contractus matrimonialis inter unum, & unam indissolubilis, prout explicabimus articulo sequenti. Quamvis autem negari non possit, quod natura humana inclinans ad sui propagationem, & perpetuitatem in sua specie, cum non possit in individuo, inclinaret pariter ad matrimonium; Quia tamen homo in quantum rationalis inclinatur etiam ad virginitatem, & cęlibatum, qui sunt actus virtutis præstantissimæ, ideo speciali ratione, & lege positiva instituendum erat matrimonium, & forte obligandus erat Adam ad illud, necnon communitas hominum, ne genus humanum extingueretur.

Dubium etiam est; an jus naturæ obliget communitatem ad matrimonium?

Respondeo, Con. docere, nullum esse, nec fuisse præceptum, aut jus naturæ obligans ad matrimonium. Probat primo, quia si hoc esset, talis obligatio esset in singulis. Secundo, quia si in Adamo, & in nobis fuisset obligatio naturalis propagandi genus humanum, deberet dari pariter obligatio naturalis servandi virginitatem; nam ideo dicimus dari obligationem naturalem ad matrimonium, quia natura inclinatur ad illud; atqui multo magis natura inclinatur ad virginitatem, quæ magis conducit ad finem ultimum hominis, ut patet ex I. ad Corinth. 7., ubi dicitur: *Qui cum uxore est, sollicitus est, qua sunt Mundi, quomodo placeat uxori, & divinus est*: ergo.

II. Verum communiter docent cum D. Th., Vasq., Sanch. l. 2. disp. 3., præceptum nubendi esse naturale, & obligare omnes vage, hoc est singulos, urgente necessitate. Ratio est, quia si datur præceptum naturale de cibo sumendo, ne pereat individuum humanum, a fortiori dari debet præ-

ceptum naturale de matrimonio, ne pereat species humana. Hinc fit, Protoparentes ex lege naturali obligatos fuisse ad matrimonium, & præcepto Dei positivo; non secus ac ad præcepta Decalogi utroque jure tenemur, naturali, & positivo.

Ad primam rationem Con. respondetur, quod obligatio hæc non fit in singulis hominibus, sed in omnibus vage; ita ut singuli tunc obligentur, quando adest necessitas; isthæc enim obligatio satis est, ne species humana pereat. Ad secundam dico, quod urgente necessitate natura magis inclinatur ad matrimonium, quod est bonum commune, quam ad virginitatem, quæ est bonum, & commodum particulare. Virginitas autem semper est materia consilii, non præcepti; quia licet magis conducatur ad ultimum finem hominis, habet tamen suam arduitatem propriam talis virtutis, ad quam Deus noluit nos obligare.

Circa tempus, quo matrimonium institutum fuit, communiter Doctores cum Sanch. lib. 2. disp. 4. docent, matrimonium institutum simul, ac præceptum fuisse a Deo jure positivo, quando dixit nostris Protoparentibus Genes. 1. *Crescite, & multiplicamini, & replete Terram*: Sicut similibus verbis instituit simul, & præcepit Christus Dominus Sacramentum Eucharistiæ, quando dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Nonnulli tamen cum Con. docent, institutum a Deo fuisse matrimonium, quando immisit soporem in Adam, & ex ejus latere Evam formavit; tunc enim videtur Deus revelasse naturam, & finem matrimonii Adamo; siquidem expergefactus dixit: *Propter quod relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit Uxori suæ, & erunt duo in carne una*, scilicet per copulam conjugalem, ut explicatur in Cap. *Debitum* de Bigamis.

III. Quæ-

III. Quæritur secundo; Quem finem intendere debeant contrahentes matrimonium, ut valide, & licite illud contrahant?

Respondeo, & dico primo; Ut valide matrimonium contrahatur, necessario contrahentes intendere, seu velle debent translationem dominii corporum ad usum conjugalem, & se ad illum obligare obligatione radicali, ut diximus art. sup. Præterea ad validitatem matrimonii requiritur, ut contrahentes non habeant intentionem se obligandi contra tria illa bona matrimonii, scilicet Proles, Fidei, & Sacramenti; quare invalidum est matrimonium, si contrahant cum pacto, & obligatione aut vitandi positive prolem, sumendo pharmacum sterilitatis, vel emittendi semen extra vas, quod est contra bonum proles; Aut cum pacto non servandi fidem conjugalem, seu adulterandi, quod est contra bonum fidei; Aut demum cum pacto, & obligatione dissolvendi in aliquo casu matrimonium, quod est contra bonum Sacramenti: ( hoc tertium tamen intelligendum est de matrimonio baptizatorum, quod ratione Sacramenti habet indissolubilitatem ) Quod si quis vellet obligare se, verbi gratia, ad fidem conjugis servandam, & simul vellet etiam post matrimonium adulterari, hoc in pactum non deducendo, valide contraheret matrimonium: Potest enim stare, quod quis velit obligari ad aliquid faciendum, & simul nolit illud facere; sicut potest quis vovere castitatem, & simul velle violare votum.

IV. Dico secundo; Licite matrimonium contrahitur, non solum si per illud intendatur generatio proles, quod est certum, cum hic sit finis præcipuus matrimonii; sed etiam si præcipue intendatur remedium concupiscentiæ; esto etiam ex honesto fine optetur generationem non sequi. Ita Hurt,

Con., Perez contra Sanch., Sot. Ratio est, quia talis finis honestus est, & proprius talis contractus; quamvis solum secundario ad eum finem natura sua ordinetur matrimonium. Hinc Apost. 1. ad Corinth. 7. dicit: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaque suum virum*; significans hoc unico fine licitum esse matrimonium contrahere. Et sane, si ad vitandam fornicationem in altero conjuges, concedunt omnes, licitum esse contrahere cum illo matrimonium, a fortiori licitum est ad vitandam fornicationem in se ipso.

Neque dicas cum Sanch., esse aliquam inordinationem, quamvis levem, ordinare matrimonium unice ad finem illius secundarium, quando potest ordinari ad finem primum. Nam contra est, quia si juvenis sterilis, sicut etiam senex, ut concedunt omnes, possunt inire matrimonium unice in remedium concupiscentiæ; quare non etiam juvenis fecundus? Etenim si ratio exigeret, ut in matrimonio intendatur finis ejus principalis, qui est proles generatio, tamen esset illicitum sterili, quam secundo matrimonium inire, intendendo unice remedium concupiscentiæ.

Dico tertio; Licitum etiam est inire matrimonium ob alios fines extrinsecos, dummodo honestos; verbi gratia propter pacem, divitias, nobilitatem, vel ob motivum tuendæ, seu restaurandæ salutis. Ita Doctores citati contra Angel., Navar., Covar., & alios apud Con. disp. 24. dub. 2. Ratio est, quia in hoc nulla apparet inordinatio. Aliter senes, qui nec possunt generare, nec patiuntur stimulos carnis, licite non possent contrahere matrimonium; cum per illud nec intendant proles generationem, qui est finis intrinsecus primarius, nec remedium concupiscentiæ, qui est finis matri-

matrimonii intrinsecus secundarius. Quare solum propter fines illos extrinsecos licitum est iis nubere.

Neque dicas, inordinationem aliquam esse ordinare Sacramentum ad fines temporales extraneos.

Nam primo, non ordinatur matrimonium ad tales fines inquantum Sacramentum est, sed inquantum est contractus. Secundo, ut notat Hurt., qui ordinat Sacramentum ad hos fines extrinsecos, non irrogat injuriam Sacramento, dummodo positive non excludat finem recipiendi gratiam, quem nemo excludit; Sicuti non irrogat injuriam Sacrificio Missæ, qui illud ordinat ad obtinendam salutem, vel stipendium, dummodo non excludat positive finem illius primarium, qui est cultus divinus.

Dico ultimo: Illicitum est contrahere matrimonium præcise ob capiendam delectationem carnalem. Ita Con. disp. 25. sect. 2., & alii communiter. Ratio est clara, nam (quicquid aliqui prius senserint apud Sanch. lib. 9. disp. 11.) nunc damnata est propositio 9. ab Innoc. XI. dicens: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omnipentus caret culpa, ac defectu veniali*: ergo si illicitum est uti matrimonio ad hunc finem, illicitum pariter est ad hunc finem matrimonium contrahere. Verum quidem est, quod docet Sanch. loc. cit., delectationem actui conjugali annexam non esse de se malam, nec esse peccatum ullum velle illa frui, quando non procuratur nimius excessus voluptatis; sicuti nec est peccatum velle frui delectatione, quam in ciborum esu apposuit natura; nisi pariter excessus procuraretur. Nihilominus etiam verum est, quod Sanch. ibidem cum innumeris Auctoribus docet, esse culpam venialem exercere actum conjugii præcise ad capiendam voluptatem tali actui annexam. Quod patet primo ex

*Pars VII.*

doctrina August., qui cap. 6. de bono conjugali hæc habet: *Conjugalis concubitus generandi causa non habet culpam, concupiscentia vero satianda, tamen cum conjugæ, venialem*. Secundo, quia bonum delectabile, quod est naturæ sensitivæ consonum, non potest recte esse finis operationis humanæ, sed solum bonum honestum, quod est conforme naturæ rationali. Tertio, quia abusus rei est, quærere actum propter delectationem illi adjunctam, cum delectatio sit propter ipsum actum, non vero actus propter delectationem illi adhaerentem. Demum, quia delectatio annexa operi conjugali mentem absorbet, nec liberam illam relinquit, ut se in Deum convertat. Quod quia pariter habetur in comestione ad satietatem, non vero in comestione temperata, ideo pariter illicitum est comedere ad satietatem præcise ob delectationem inde capiendam, ut constat ex propos. 8. damnata ab Innoc. XI., quæ habet: *Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obstitit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui*.

Neque dicas, ex Philosopho 10 Ethic. 8., talis est delectatio, quale opus, de quo est, sed opus conjugii est honestum, & licitum: ergo etiam delectatio ex tali opere percepta, atque adeo intendi potest opus conjugii præcise ob delectationem.

Nam respondeo, axioma Philosophi esse verum, quando delectatio debite quæritur, non ut finis actus, sed tamquam actui adjuncta, ut notat Sanch. loc. cit.

Hinc inferitur, quod sicuti opus conjugii ob solam voluptatem exercitum est illicitum, & inhonestum, non vero si exercentur, vel ob proli generationem, vel ad remedium concupiscentiæ, vel ad satisfaciendum

I con-

conjugi petenti, vel ad conservandum amorem cum conjugē, quanvis simul acceptetur delectatio illi annexa; dummodo non procuretur nimia; ita pariter illicitum est contrahere matrimonium præcise propter delectationem carnalem capiendam; secus vero, si ob finem honestum, sive intrinsicum, sive extrinsecum matrimonio, illud contrahatur, quamvis simul intendatur in ordine ad eundem finem frui deinde in actu matrimoniali delectatione illi a natura annexa, non tamen nimia. Ubi Doctores advertunt, saepe in opere conjugii venialem culpam contrahi; quia plerumque excessus voluptatis in eo actu a conjugibus procuratur.

Neque dicas cum Altisiodor. apud Sanch. Qui concionatur recto fine, peccat venialiter, si admittat gloriam vanam inde confurgentem: ergo etiam peccat venialiter conjux, qui ob finem rectum petit debitum, & contrahit matrimonium, si delectationem actui conjugali annexam admittat, & non respuat.

Nam, concesso antecedente, negatur consequentia. Disparitas est, quia inanis gloria est in se mala, & ideo respuenda: Contra vero delectatio in opere conjugali (nisi sit nimia) non est in se prava; immo natura tali operi sagaciter illam adjunxit propter bonum prolis, ut ejus generationi avidius homines vacarent, & sic species humana conservaretur: Sicuti in ciborum esu delectationem natura apposuit ob individui conservationem: Ex Philosoph. enim 10. Eth. 4. voluptas, & delectatio sunt condimentum operationum. Quare vacat culpa uti matrimonio, fruendo delectatione non nimia, quam natura illi adjunxit propter honesti finis necessitatem.

VI. Queritur ultimo, Quandonam elevatum sit matrimonium ad ratio-

nem Sacramenti?

Respondeo, de fide esse matrimonium ad rationem Sacramenti elevatum a Christo Domino: Trident. enim sess. 24. can. 1. hæc habet: *Si quis dixerit, matrimonium non esse vere, & proprie unum ex septem Sacramentis legis Evangelicae, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, Anathema sit.* Hoc autem ex nullo Scripturæ loco deducitur aperte, ut notat Perez disp. 19., sed ex traditione ab Apostolis, & eorum successoribus accepta habemus, ut loquitur Evaristus III.

Dubium tamen est, quando Christus Dominus illud instituerit? Aliqui docent, institutum fuisse Joan. 2., quando Christus interfuit nuptiis. Alii cum Sanch., & Rebel., institutum fuisse Matth. 19. quando dixit: *Qui Deus conjunxit, homo non separet.* Alii in nocte Cænæ. Sed probabilius Perez, Marat., & alii docent, institutum fuisse post resurrectionem in uno ex iis quadraginta diebus ante Ascensionem. Ratio est, quia eo tempore, ut constat ex Act. 2. apparuit Christus Dominus Apostolis loquens cum eis de Regno Dei, hoc est de rebus ad Ecclesiæ suæ statum pertinentibus; Tunc etiam institutum Sacramentum Pœnitentiæ constat ex Joan. 20. quando scilicet januis clausis apparuit Apostolis, absente Thoma, & ostendens manus, & latus insufflavit, & dixit eis: *Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*